

quo vitam dedit aeternam, cur mortis adempta est
condicio? possem tantos finire dolores 880

nunc certe et misero fratri comes ire per umbras.

inmortalis ego aut quicquam mihi dulce meorum

te sine frater erit? o quae satis ima dehiscat

terra mihi manisque deam demittat ad imos.'

tantum effata caput glauco contexit amictu 885

multa gemens et se fluvio dea condidit alto.

Aeneas instat contra telumque coruscat

ingens arboreum et saevo sic pectore fatur:

'quae nunc deinde mora est aut quid iam Turne
retractas?

non cursu, saevis certandum est cominus armis. 890

verte omnis tete in facies et contrahe, quidquid

sive animis sive arte vales; opta ardua pennis

astra sequi clausumque cava te condere terra.'

ille caput quassans: 'non me tua fervida terrent

dicta ferox: di me terrent et Iuppiter hostis.'

895

nec plura effatus saxum circumspicit ingens,

saxum antiquom ingens, campo qui forte iacebat

limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

vix illud lecti bis sex oervice subirent,

qualia nunc hominum producit corpora tellus: 900

ille manu raptum trepida torquebat in hostem

altior insurgens et cursu concitus heros.

sed neque currentem se nec cognoscit euntem

tollentemve manu saxumve inmane moventem;

genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis. 905

tum lapis ipse viri, vacuom per inane volutus,

nec spatium evasit, totum neque pertulit ictum.

ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit

nocte quies, nequiquam avidos extendere cursus

velle videmur et in mediis conatibus aegri 910

succidimus; non lingua valet, non corpore notae

sufficiunt vires, nec vox aut verba secuntur:

sic Turno, quacumque viam virtute petivit,

successum dea dira negat. tum pectore sensus

vertuntur varii. Rutulos adspectat et urbem 915